

factum est ut miserandus gubernator occisus fuerit et ejus uxor ad egestatem redacta fuerit.

His acceptis, confessarius anceps hæret et secum querit :

1°. An et qualiter obligatio urgeat eleemosynam elargiendi in extrema et gravi communi pauperum necessitate ?

2°. Quid de singulis in casu ?

3°. Quid Gelasio præscribendum et consulendum ?

Caius presbyter quando in Missa solemnè altare incensat, bis tantum ducit thuribulum quando duo sunt candelabra a medio altaris usque ad cornu epistolæ vel evangelii. Queritur :

1°. An ipsa candelabra sicut incensanda, vel potius pars superior mensæ altaris ?

2°. Quomodo fieri debeat hæc incensatio mensæ altaris ?

### MENSE OCTOBRI.

Sempronius parochus catechismum explicans hæc tradit : Veram charitatem theologiam, qua omnes ex gravi præcepto Deum diligere tenemur, esse amorem purum, non mercenarium ; quo amore, Deum ut in se tantum bonum, absque ulla ad nos relatione, diligimus, non ut bonum nos beatificans ; aliter enim objectum spei cum charitatis objecto confunderetur. Huic autem doctrinæ vinum addit illis Sancti Xaverii verbis : “ O Deus ! ego amo te ; nec amo te ut salves me, aut quia non amantes te æterno punis igne. . . . non ut in cælo salves me, nec præmii illius spe, sed sicut tu amasti me, sic amo et amabo te solum quia rex meus es et solum quia Deus es ! ”

Hæc audit Cornelius clericus valde pius et statim anxius Caium confessarium adit, eique, his expositis, manifestat se vehementer angere eo quod Deum super omnia vere diligit sed tanquam summum hominis bonum, Deoque potiri cupiat veluti beatitudinis et felicitatis objecto ; quapropter timet Cornelius ne semper huic præcepto defuerit. Respondet Caius hos scrupulos esse abjiciendos, cum charitatis theologiæ objectum formale sit Deus in se et nobis bonus, et impossibile esse Deum alia ratione diligere : hunc autem amorem, si vere summus sit, charitatem illam esse qua perfecta contritio perficitur ; Sempronii doctrinam ab Innocentio XII in prima Fenelonii propositione damnatam fuisse.

Cornelius adhuc anxius theologum consulit, a quo querit :

1°. Quale sit formale theologiæ charitatis objectum ?

2°. Quid de doctrina Sempronii et Caii sentiendum ?

3°. Quid Cornelio respondendum ?

Sempronius parochus consuevit, quando eadem die sepeliendi occurrunt adulti et parvulus, exequias celebrare plurali numero quasi pro duobus adultis. Queritur an bene ? et quatenus negative, quomodo agendum in hoc casu ?